

AD AUGUSTUM EUCHARISTIAE SACRAMENTUM PRECATIO

Pii Papæ X.

Dulcissime Jesu, qui ineffabili tui amoris miraculo per SS. Eucharistiæ Sacramentum fideles tuos Tibi adeo intime conjungis, ut idem Tecum sentire, velle, operari et pati valeant; nobis quos summa tua benignitate ad sacerdotalem gradum, evexisti, et in sacrosancti Sacrificii oblatione tuam ipsius personam gerendi honore dignaris; hanc quæsumus, novam gratiam confer, ut lumen sanctitatis et perfectionis tuæ in nobis, indignis tuis ministris, pro modulo tenuitatis nostræ ad communem Ecclesiæ tuæ ædificationem effulgeat. Nos autem tam effusa divinæ munificentiae largitate quæ nulli Angelorum est concessa, vehementer illecti, Te prosecuturos quotidiana adoratione promittimus. Ad nostras vero obliviones deffendas atque, ad offensas quoquo modo a nobis et ab aliis omnibus huic sacrosancto Mysterio illatas, quantum fieri potest, compensandas nos Tibi totos et omnia nostra, cum omnibus meritis ex gratia tua acquisitis vel acquirendis devovemus; Teque præsentem in sanctissima Eucharistia sine intermissione recolentes, ejusdem cultum, quantum pro nostra infirmitate liceat propagare studebimus.

A tua igitur immensa bonitate et clementia suppliciter petimus, ut quod majestati tuæ pollicemur, perpetuæ adorationis officium, in odorem suavitatis accipias, et sicut, Te inspirante, ipsum suscepimus, sic, Te adjuvante, ad Ecclesiæ sanctæ utilitatem exercere valeamus. Amen. (1)

(1) Ex Audientia Ssmi, die 4 Septembris 1913, Ssmus D. N. D. Pius Div. Prov. Papa X, Audientia R. P. D. Adessori S. Officii impertita, occasione primi Conventus Sacerdotum Adoratorum Ssmi Sacramenti, in hac Alma Urbe die 9 currentis mensis et anni in Ss. Archibasilica Lateranensi habendi; Sacerdotibus Pio Cœtui ubique terrarum tam adscriptis quam in posterum adscribendis, Indulgentiam trecentorum dierum, semel in die lucranda, et animabus in purgatorio degentibus etiam applicabilem, si corde saltem contrito supra relatam Precationem recitaverint, benigne elargiri dignatus est. Præsenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expedione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. ✠ S.

M. CARD. RAMPOLLA.

D. Archiep. Seleucien, Ads. S. O.